



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CLXXXI. Ne de cetero Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccini in
Provinciis Italiæ deputari valeant in Confessarios ordinarios Monialium ab
Episcopis, seu locorum Ordinariis cavet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

dolibet debitis penitentis in forma Ecclesie consueta relaxavimus, qui vero illud assidue frequentarent, eundem Catechismum, Doctrinamve Christianam docentes, vel addiscentes, ac vere similiter penitentes, & confessi, Sacraque Communionem refecti pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effunderent, in Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis Dominicae, nec non Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum festis diebus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus, & alias prout in nostris in pari forma Brevis die 27. Junii 1735. desuper expeditis literis, quas perpetuis futuris temporibus valere statuimus, quarumque tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expressio, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Hujusmodi concessionem extra Italiam extendit.

§. 3. Nunc autem nos memorati Catechismi, Doctrinae Christianae usum, & frequentiam tantopere commendabilem, ac salutarem ne fideles circumferantur tanquam parvuli fluctantes omnivento Doctrinae, sed firmo fidei fundamento adhaerentes coadjuvantur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto ubique locorum, ac gentium propagari, magisque in dies augeri exire cupientes, supplicationibus etiam plurimorum ex Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis extra Italiam hujusmodi existentibus, nec non dilectorum filiorum Officialium, & Confratrum Archiconfraternitatis Doctrinae Christianae in Urbe praefata dudum auctoritate Apostolica erectae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem Indulgentiarum, & peccatorum remissionem, penitentiarumque relaxationem docentibus, & Adultis addiscentibus Catechismum, seu Doctrinam Christianam in Urbe, Italia, ac Insulis adjacentibus a nobis factam, sicut praemittitur, expeditaque desuper literas nostras praedictas, ad universos Christianifideles ubicumque locorum nunc, & pro tempore existentes, eundem Catechismum, Doctrinamve Christianam similiter docentes, & Adultos addiscentes, servata eorumdem literarum nostrarum forma, & dispositione, auctoritate Apostolica tenore praesentium in perpetuum extendimus similiter, & ampliamus.

Obstantibus derogat.

§. 4. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar aliusque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi jubet.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensa.

Dat. die 16. Maii 1736. An. VI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Maii 1736. Pont. Nostri Anno Sexto.

CLXXXI.

Ne de cetero Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccini in Provinciis Italiae deputari valeant in Confessarios ordinarios Monialium ab Episcopis seu locorum Ordinariis cavet.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

EX injuncto Nobis Apostolicae servitutis munere in eam curam sollicitis studiis intendimus, ut Christianifideles Altissimi obsequiis sub ar-

etioris vitae Institutio famulantes, sublatis quibusvis impedimentis, in quietis, & pacis amenitate vota sua Domino reddant felicioribusque in dies proficiant incrementis.

Directio Monialium spiritui Regulae Capuccinorum contraria.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Bonaventura a Ferrara Minister, ac Diffinitores generales Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod cum alias vigore cujusdam Rescripti se, re. Benedicti Papae XIII. Praedecessoris Nostri concessum fuerit Ven. Fratri Archiepiscopo Rossanen. ut Fratres d. Ordinis in Confessarios ordinarios Monialium Monasterii S. Clarae Civitatis Rossanen. deputare posset, ipsi exponentes vel menti, ac spiritui Regulae ejusdem Sancti Francisci, quam Fratres praefati profitentur adferari considerantes, aliisque rationalibus ex causis in eorum Diffinitorio generali perpenis, opportune in praemissis a nobis provideri summopere desiderant.

Concessionem fecus factas irritat Clemens.

§. 2. Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati concessionem supra dicto Archiepiscopo Rossanen. per memoratum Benedictum Praedecessorem, sicut praemittitur, factam, etiamsi postmodum per Sedem Apostolicam confirmata reperiat, auctoritate Apostolica harum serie revocamus, & abrogamus.

Ac deinceps Fratres hujus Ordinis in eorum Confessores eligi vetat in Italia.

§. 3. Praeterea ne Fratres praefati Ordinis in Provinciis Italiae nunc, & pro tempore existentes a Ven. fratribus Archiepiscopis, Episcopis, seu dilectis filiis locorum Ordinariis in Confessarios ordinarios Monialium quovis sub praetextu, praeter quam ubi per literas Apostolicas Confessarii ordinarii alicujus Monasterii Monialium Capuccinarum nuncupatarum destinati forent, deinceps ulatenus constitui, seu deputari valeant, dicta auctoritate tenore praesentium statuimus, & prohibemus.

Secus judicari quoquam prohibet.

§. 4. Decernentes eandem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quoadocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari; sique & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causatum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit ordinis, & Provinciarum hujusmodi aliisve quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Maii 1736. An. VI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Maii 1736. Pontificatus Nostri Anno VI.

F. Card. Oliverius.

Erectio

CLXXXII.

Erectio Confraternitatis sub denominatione Sanctæ Catharinæ Nationis Senensium in Urbe commorantium in Archiconfraternitatem cum facultate aggregandi &c.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Petitio super hoc Patre facta.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Officiales, & Confratres Confraternitatis Christianissimæ nationis Senensium in Alma Urbe nostra commorantium sub denominatione Sanctæ Catharinæ Senensis canonice erectæ, quod ipsa Confraternitas, quæ (ut asseritur) olim instituta, ac etiam ante initium decimi sexti sæculi diversis identidem gratis, & privilegiis decorata fuit, atque juxta antiqua ipsius statuta a Sede Apostolica confirmata auctoritate unius ex S. R. E. Cardinalibus uti illius Prosectoris regitur, a se. re. Paulo V. & Alexandro VII. Rom. Pontificibus Prædecessoribus nostris singulis annis die festo ejusdem Sanctæ Catharinæ unum Reum ex causa Capitali damnatum liberandi, facultatem obtinuit, postquam jam a rec. me. Paulo Papa V. Prædecessore pariter nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die 18. Julii 1611. expeditas literas omnes Confraternitates in situ Senen. dumtaxat canonice erectas, ac erigendas, servata Constitutionis pie me. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris itidem nostri desuper editæ forma, & dispositione aggregandi, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiary relaxationes a Sede prædicta sibi concessas, & alias communicabiles communicandi licentia perpetuo ei attributa fuerat, recurrentibus vero annis Jubilei hospitalitatem, quam Archiconfraternitates dictæ Urbis pie exercere solent, hospitio excipiendo omnes Confraternitates præfatas ad eandem Urbem pro lucrando Jubileo hujusmodi accedentes assidue quoque exercet.

Concessio de qua in rubrica.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipsi Exponentes Confraternitatem præfata Archiconfraternitatis titulo insigniri plurimum desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existant, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Confraternitatem prædictam in Archiconfraternitatem cum omnibus, & singulis prærogativis, juribus, honoribus, & præminentibus solitis, & consuetis, auctoritate præfata tenore presentium, sine cujusquam præjudicio perpetuo erigimus, & instituimus. Ac Archiconfraternitatis sic erectæ Officialibus, & Confratribus presentibus, & futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates ejusdem Instituti, extra Urbem prædictam ubicumque locorum existentes, eidem Archiconfraternitati, servata tamen forma supradictæ Constitutionis Clementis prædecessoris aggregare, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac penitentiary relaxationes ipsi Confraternitati sic in Archiconfraternitatem a Nobis erectæ a Sede Apostolica concessas, ac communicabiles ut præfertur, similiter communicare libere, & licite possint, & valeant, auctoritate, & tenore præfatis itidem perpetuo concedimus, & indulgemus.

1736.
Præsentis Constitutionis firmitas.

§. 3. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit supradictæ Confraternitatis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat consequendum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori sub Annulo Piscatoris die 1. Junii 1736. Pont. Nostri Anno Sexto.

Dat. die 1. Junii 1736. An. VI.

Approbatio, & ratificatio Sententiæ Commissariorum Apostolicorum, & Regis Christianissimi die 29. Maii proximi præteriti lata super quibusdam Controversiis Civitati Cavallicen. pro parte nonnullorum Subditorum ejusdem Regis motis circa derivationem aquarum e Flumine Druentia.

CLXXXIII.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **C**Um, sicut nobis innotuit, controversia, quæ pro parte nonnullorum Subditorum charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi dilectis filiis Communitati, & Hominibus Civitatis Cavallicen. in comitatu nostro Venetissimo super derivatione aquarum Fluminis Druentia, seu alias motæ fuerant, ac vertebant, a nostris, & Sedis Apostolicæ ipsiusque Ludovici Regis Commissariis ad id specialiter respective deputatis, decise, ac definitæ fuerint per Sententiam eorundem Commissariorum die 29. mensis Maii proxime præteriti latam, cujus de gallico in Italicum idioma versa tenor est, qui sequitur; videlicet.

Controversia, de qua in rubrica.

§. 2. Noi Commissarij dopo aver esaminato le istanze, e le giustificazioni rispettivamente rimesse dalle Parti, ed unite al Processo, la concessione accordata al Vescovo di Cavaglione da Raimondo Quinto Conte di Tolosa, Marchese di Provenza nel 1171. per la derivazione delle acque del Fiume Durenza: li titoli, ed atti possessorj prodotti dalla Comunità di Cavaglione essendo delle ragioni, o diritti del Vescovo, dichiarando la detta concessione del 1171. a noi esibita buona, e valevole, ed emanata dalli Prædecessori di sua Maestà Christianissima nel detto Contado di Provenza, senza attendere l'ordine del Tribunale del dominio delli 7. Gennaio 1735. quale attesa la detta esibizione, rekerà come seguito non fosse, habbiamo mantenuto, e manteniamo la detta Comunità di Cavaglione nel possesso, e godimento del diritto di derivare le sudette acque dal Fiume Durenza per l'uso del Molino di S. Giuliano, ed altri, e per li adacqua-

Sententia Commissariorum.